25

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE
VARIOLIS,

QVAM,

DEO T. O. DVCE ET AVSPICE

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

PRÆNOBILI ET CONSVLTISSIMO

N.TOBIA JAC.REINHARTHO,

CTO, SACRI PALATII CAESAREI COMITE, IVRID. FACVLT. ASSESSORE, ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVIT. SYNDICO ET CONSVLE,

TORITATE ET DECRETO GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ IN PER-ANTIQVA HIERANA,

SVB RÆSIDIO

N. D. IVONIS JOANNIS STAHLII,

NENTISS. ELECT. MOGVNT. CONSIL. ET ARCHIATR. ANATOM. CHIRVRG. T BOTAN. PROFESS. PVBL. FACVLT. MED. ASSESS. ORD. N. N. CIVITAT. ERFORD. CONSVL.

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,

PRO LICENTIA

VMMOS IN ARTE MEDICA HONORES AC PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE OBTINENDI,

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT,

AVCTOR ET RESPONDENS,

M. BENJAMIN KLEIN,

Sileſ. Uratiſlavienſ.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

DIE XXI. JVNII M DCC XXXII.

ERFORDIAE, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.

DISSERTATIONIS INAVGVRALIS MEDICÆ

DE VARIOLIS

PRÆFAMEN.

QVoniam in multis conſpirare hominem cum mutationibus orbis univerſi, *Macrocoſmi* cernimus, factum eſt, quòd & homo præter alia chymicorum placita parvus Mundus, *Microcoſmus* nempe vocetur; præter hæc verò, ambos convenire, auſim dicere, in eo, quòd, uti fugax tempus indies præterlabitur, conſtituens tandem integrum annum, atque planè ſæculum, in quo politica & moralia, ùt & concernentia vitam, ſanitatemque microcoſmi

coſmi innumeras pene patiuntur mutationes, ita & ſe habeat res in ipſo *Microcoſmo*; hic enim etiam habet ſuum ſæculum, ſuum nempe vivendi tempus, vitæque curriculum, in quo diverſæ ætates numerantur; & in his continuæ mutationes phyſicæ, morales & medicæ, exoriuntur. Nolo tamen in præſentiarum omnium ætatum, proœmii locò, more phyſiologorum nominatas recenſere, atque perluſtrare mutationes; aſt pauca quædam de prima ejus ætate, ſive infantili, eique occurrentibus mutationibus, ùt & periculis ſanitatis, atque vitæ dicturus ſum. Quis enim ignorat tenellum & e ſinu matris excluſum, ac à ſuis veſtimentis membranaceis exutum infantem ſimul apportare divitiarum locò in ventriculo atque inteſtinali canale morborum ſcaturiginem plurimorum, nempe mœconium, humorem atro-viridem? qui, niſi ſponte à natura, aut ſuo primô pabulô materno, coloſtro, aut auxiliatrice Medicinâ maturè foràs ducatur, innumera parit pericula ſanitatis atque vitæ: hinc mox ſequuntur ejulatus, à torminibus inde cauſati, qui dolores ſæpè ità exacerbantur, ut in conſenſum tene-

rum

rum nervorum genus rapiatur, & inde pavoribus corpuſculum concutiatur, imò planè ſpaſticè convellatur, & epilepſiâ conſumatur: ad quam, proh dolor! ob teneritudinem omnibus aliis, in alia conſtitutis ætatibus magis expoſitus eſt infans, præſertim, cùm non è proprio, ſed alieno ſive materno penario vivat, hinc ſin Mater, quæ ſedulo parvulum ſuum in cunis ſvaviter commovet & amœnè fovet, errores diætæ morales & phyſicos committit, ſtatim hos experitur, & haud raro non mulctam, ſed ſupplicium locò Matris ſuſtinere cogitur, unde liceat mihi HIPPOCRATIS adagium de fœminis, cunis adſcribere infantum, Infans tenellus bis patitur morbum, ob propriam nempe teneram & alienam maternam conſtitutionem. Si bregma, aut ventriculus non ab aëre frigidiori arceatur, ſingultit; fauces à lacte corrupto, aphtas inducente, obducuntur: achoribus fætet capitellum: Genulæ cruſtâ ulceroſâ obliterantur: prætereo mala pediſſequa à repulſione horum externorum vitiorum. Paulò adultior factus dentitionis experitur tempus, quo *Parcarum* miſericordiæ ſæpiſſi-

piſſimè unicè committendus eſt; interim dolores, convulſiones, febrem, diarrhœam & alia ſolus ſuſtinere debet. Inteſtinula tandem vermes lancinant; mucoſi & caſeoſi humores ex lacte vel pulte generati glandulas meſeraicas obſtruunt & atrophiam cauſant. Morbillis & variolis expoſitus vivit infans conſtanter. Et hæc nondum ſufficiunt, ſed accedunt etiam morbi, quos modo hæreditario vel connato in ſua generatione pro, quaſi, Pa- aut Matrimonio à Parentibus accepit, qualia leguntur exempla ſtupenda: hi ſtatim cum partu pateſcunt, illi poſt aliquod tempus ſævitiem ſuam primò exercent. De morbis connatis, præter alia exempla, adduco unicum caſum ex *Meauriceau*, dum Mater laborans variolis, peperit infantem, variolis conſperſum, ex quibus verificatur PLINII aſſertum *in Proœm. L. 7. hiſ. nat.* ſequens, *A ſuppliciis vitam auſpicatur homo, unam tantùm ob cauſam, quia natus eſt.* Ex his ergo recenſitis & aliis infantum morbis, unum, nempe Variolas eligere volui pro themate diſſertationis inauguralis medicæ; Faxit divinum Numen, ut hic labor proſpere & in emolumentum, variolis decumbentium, cedat!

SECT

SECT. I.
Continet Theoretica variolarum.

§. I.

IN his conſcribendis theſibus inauguralibus ſervaturus ſum illum ordinem, quem in aliis reperi; videlicet incepturus ſum ab Etymologia & Synonimia; illam, quod attinet, Autores non multum perſcrutati ſunt, ità, ut ipſi adhuc videantur in ejus derivatione dubii, ſolent tamen variolarum denominationem deducere à verbo vario, quòd nempe hæ puſtulæ ulceroſæ cutim varient: cùm verò & ulcera ſcabioſa, aliaque integram ſæpe cutem, nempe univerſalem corporis peripheriam varient, ideo non videtur adæquata etymologiæ deductio; hinc alii à varis variolarum nomen deſumunt; aſt iterum objectio fieri poteſt, has non convenire cum varis, quod & certum eſt, præprimis quò ad indolem eſſentialem; interim tamen etiam nemo negabit, ratione puſtularum formæ aliqualiter convenire, per conſequens, exinde variolas fortaſſis nomen traxiſſe, vid. *Laz. Riv. L. XVII. Prax. Med. Cap. II. de Variolis & morbillis fol. 456. Dol. Encyclop. Med. Dogmat. Z. 4. de Febr. Cap. VI. de Variolis & morbillis §. 1. fol. 110.* Alii à piſce trutta ob maculas rubras, cum juxta Lexicographos etiam denominetur variolus, variolarum nomen quærunt. Synonimiam latina vox haud admittit, ſed ſolum obſervatur diverſa denominatio juxtà gentium, diſtinctis linguis diſcurrentium diverſitatem; hinc Gallis audit *la petite varole*, Arab. Bottor. Germ. die Kinder-Pocken, Blattern.

§. II.

§. II.

Procedimus ad eſſentialem variolarum indagationem, conſiſtentem in definitione. Sunt verò Variolæ, febris continua exanthematica modò benigna, modò maligna cum puſtulis in cute elatioribus ac ſupurabilibus pluribus, aut paucioribus, diſcretis, vel confluentibus epidemicè utplurimùm graſſans, quandoque ſporadicè afficiens hominem à materia febrili fermentativa, ulceroſa dependens. Poſuimus itaque locò generis febrem continuam exanthematicam, quæ in omni ſpecie variolarum verarum, de quibus nobis ſermo eſt, adeſt, & cum aliis febribus exanthematicis convenit genericè: ſin verò hunc vel illum mitius aut gravius affligat, eſt febris vel benigna vel maligna; cùm verò puſtulæ elatiores, & ſuppurabiles eſſentiam variolarum denotent, ideo differt hæc febris exanthematica ratione puſtularum ab febribus exanthematicis aliis, reliqua in ſubſequentibus dilucidabuntur.

§. III.

Cauſam immediatam & in actum deductam recenſuimus in definitione, unde verò hæc ſuum ortum traxerit, variè inter ſe Autores litigant, ità, ut ipſe celeberr. JUNCKERUS in *Conſpectu* ſuo *Medicinæ Theoret. Pract. Tab. LXXV. de variolis & Morbillis fol. 610.* ſcribere cogatur, ſequentia: *Cauſa vera & genuina horum affectuum eſt incognita.* Nam veterum quidam, ùt eſt præter alios RIVERUS citato libro & folio, attribuunt fomitem embryoni communicatum à ſanguine materno in utero, quod ex ejusdem verbis, ſat clarè liquet, dicit enim ſequentia. *Sanguinem verò maternum*

eſſe

eſſe veram cauſam variolarum, & morbillorum, inde præcipuè colligitur: quòd ex hominum millibus vix unum reperiri liceat, qui ſemel ſaltem in vita hos effectus non patiatur. aſſentit illi SYLVIUS, niſi quòd deducat à corrupto ſanguine menſtruo. His verò ratione ſanguinis materni contradicit WALDTSCHMIDIUS, admittit tamen, Natales variolas ſumpſiſſe in utero, idem annuente DOLÆO. Aſt nolo his diutius immorari, cùm aliunde hæ rationes originales hujus miaſmatis hinc inde rejectæ jamdum legantur, præſertim, cùm veterum mens de ſanguine menſtruo corrupto, aut planè venenato hodiedum in totum non admittatur, & alia genuina cauſa in utero concepta & in quodam tubulo aſſervata, usque dum in motum deducta foret, fundamentis certis demonſtrari non poſſit: Alii mœconium accuſant, aſt & illud hunc epidemicum morbum cauſare non poteſt, quoniam pro hujus expurgatione primum deſtinatum eſt alimentum, coloſtrum; & ſin id non fiat, vigilantia & dexteritas Medici aliis ſcit atque intendit eliminare:

§. IV.

Qua de re factum eſt, quòd celeberrimi viri in aliam, univerſalem tamen cauſam inquiſiverint, nempe aëream, in qua tale ſeminium quandoque deliteſcit atque generi humano communicatur, hinc & epidemicè communiter flagellum eſſe ſolet, præſertim vero iis, qui nondum variolis correpti fuêre; hoc itaque miaſma fermenteſcibile uni alterivè communicatum ex aëre, iterum mediante eo in alios transfertur, atque propagatur, quale judicium videtur de eo ferre Celeb.

B HER-

HERMANN. BOERHAAVE *in Aph. de cognoſ. & curandis morbis fol.326. Aph. 1382.* ſequentibus, dum ſcribit de *Variolis. Malum hos, licèt epidemicum contagio ſuſcipitur communicato ab homine, qui prius laboravit: quod primo videtur aëri inhærens, pulmonibus, ori, naribus, œſophago, ſtomacho, inteſtinis dari. Adeoque hoc tempore admodum parum materiei venenatæ habere.* Pace tanti viri & magni Aphoriſtæ non negamus quidem tali modo generari poſſe variolas, nam quot non miaſmata, & ſeminia morboſa aliorum peſſimorum ac graviſſimorum morborum in aëre ob varia effluvia continentur? quæ in corpus humanum translata illud afficiunt morboſè, & ex hoc in aliud epidemicè transferuntur: aſt hoc unicum adhuc ſuperſtruo, quòd videlicet aër admodum inæqualis & inſolitus juxta diverſas anni partes conſideratus v. g. hyems temperata, ver humidius, & æſtas frigidior &c. maximam adferat ſimul partem ad excluſionem hujus miaſmatis, quoniam hoc in ſtatu periphericæ ſe- & excretiones ſeroſæ interturbantur: nam de æſtate frigidiori per ſe liquet, has imminui, quæ tamen hoc tempore ordinarie ſunt largiores; de hyeme temperata verò notandum, quòd hujus temperies non ſufficiat ad ſufficientem ſeri excluſionem per peripheriam corporis, quoniam tamen ſublatitat & adeſt frigus, vel conjuncta eſt humiditas, quæ poros cutis connivere facit, non propellentes ſerum ſecernendum ſalinum, quò tamen ob laxiorem indolem magis ducitur; ideo etiam urina parcior ſequitur, quæ hoc verò tempore largius ſecerni deberet: idem valere poteſt de vere humidiori: ex quibus ſequitur, ſerum

variis

variis ſalinis particulis refertum retineri, & tranſire in tale fermentum, variolas producens, quod tandem è corpore hoc morbô affecto, in aliud mediante contagio migrat. Cur verò ſimilis materia fermenteſcens & non alia hoc modo excudatur, omnino ſufficienter huc usque non conſtat, qua de cauſa dicitur WOLFG. WED. *in Exercit. Semiotio. Patholog: C. LXXVI. de Variol. & Morbill. fol. 209. fermentum conceptum ibidem vel illatum* SPECIFICUM, *ex ichore impuro heterogeneo ſulphureo & ſalino, in variolis groſſiore & ſeroſo magis:* eſt ergo ſpeciale fermentum, cum aliis non conveniens, variolas cauſans, quod vel in proprio concipitur corpore, vel ex alio, quod ſæpe jam dictum, per contagium transportatur, quocunque modo id fiat, aut ſtatim in utero fœtui à matre variolis obſita communicetur, quale adduximus exemplum in Procemio ex MEAURICEAU ut & ſimile habet DOLÆUS. Deberent nunc aliæ cauſæ remotiores adduci, cùm verò hæ non ſint magni momenti excepto terrore, ideo his ſuperſedeo.

§. V.

Subjectum, quod omnium maximè invadunt varialæ, eſt infantile & puerile, quoniam hoc ſeroſius eſt, & minus gaudet fibris robuſtioribus, quæ neceſſariæ ſunt ad excluſionem heterogenearum partium, retentarum per periphericam excretionem impeditam atque imminutam, hinc fluit cur infantibus & pueris ſit proprius morbus: non eximuntur tamen alii vegetioris ætatis homines partim ob contagium, partim ob in propriis undis conceptum & generatum fermentum per errores diæteticos morales & phyſicos: Cur verò

 pluri-

plurimi hominum hoc morbi genere laborent pauciſſimis exceptis? reſpondetur, quòd etiam plurimi diæteticas reſpuent regulas, omnesque tali mixtione humorum gaudeant, quæ facilè invertitur, & labem contrahit; hinc etiam *homo eſt putredo in exortu, bulla in omni vita, eſca vermium in morte.* Subjectum verò variolarum, quatenus ſunt exanthemata, eſt ipſa cutis, quatenus verò conjuncta eſt febris, eſt ipſa M. S.

§. VI.

Variolæ tandem inter ſe differunt ratione moris, quænam enim feliciter absque multis ſymptomatibus, metum mortis inferentibus, invadunt, aut potius decurrunt, quæ vocantur benignæ; aliæ periculoſiſſimis ſtipatæ ſunt accidentibus & in quibus nunquam carent periculô vitæ ægrotantes, quæ nuncupantur malignæ. Quosdam occupant parciores, hinc inde diſperſæ pauciores vel plures variolæ, quos Sydenhamus vocat diſcretas. In aliis una alteri ita eſt annexa, ut tandem quaſi una contigua videatur, tum in facie tum in alia ſimul parte corporis & audiunt hæ confluentes: quandoque ſunt interſperſæ petechiæ rubræ aut atrorubentes, denotantes periculoſiſſimum ſtatum imo ferè ſemper lethalem ægroti ob majorem malignitatem; in aliis conjungitur purpura alba vel rubra, quale obſervavit exemplum D. Mich. in Muliere, quæ laboravit variolis in uno, in altero latere morbillis, & ſic eſt morbus duplex, compoſitus. Communiter indiſcretim his afficiuntur homines omnis ætatis, qui imprimis his nondum laboravêre, denotantes ſtatum epidemium: rariùs ſporadicè hoc vel illud ſubje-

ctum corripitur variolis: datur tandem alia adhuc ſpecies variolarum juxtà vulgus, in qua puſtulæ elevantur tranſparentes ſero acriori repletæ, quæ verò non propriè ſunt variolæ hinc nec ad has referri merentur, dictæ à Germanis Wind- und Waſſer-Pocken, Blattern: ſunt enim hæ absque febri, & potius reducendæ ad puſtulas ſcorbuticas hinc etiam dicuntur variolæ nothæ ſive ſpuriæ abuſive. Quonam modo ab aliis diſtinguantur exanthematibus, docebit ſequens diagnoſis.

§. VII.

In diagnoſi variolarum formanda, duplex obſervatur ordo, nempe futurarum atque præſentium; futuræ verò iterum vel remotiorem, vel proximiorem expoſtulant diagnoſin & prognoſin: prognoſin dico, ut videlicet Medicus & ipſis amicis, etſi non certò in remotiori, tamen cum fundamento præſagire valeat, quidnam evenire, qualisque morbus exoriri poſſit; Illa verò diagnoſis & prognoſis in eo verſatur, ut, Medicus attendat ea quæ de anni temporibus dicta ſunt extraordinariis; 2dò in quanam verſetur ætate ſubjectum, circa quod judicium conſultatorium & præſervatorium à morbis, quantum in eo eſt, præbere debet: 3tiò interrogandum, an hucusque à variolis immunis fuerit, ſin ita, ſic his conjunctim perpenſitatis reflexio ad ea facienda, quæ proximiorem involvunt diagnoſin; lubenter tamen concedimus, nominata tria, non abſolutè certiorem reddere Medicum de futuris variolis, interim tamen in praxi clinica eſſe præmetitanda, nemo inficias ibit; Proximiorem diagnoſin futurorum

 exan-

exanthematum, de quibus agimus, conſtituit cum prægreſſis conjunctim ſumptis levis horror, & frigus, ſubſequens calor intenſus, continuus; conjungitur dolor tenſivus in dorſo & pectore penes ſcrobiculum cordis, conatus vomendi, ipſique vomitus ſe inſinuant; ſtimulat patientes tuſſis, moleſtat pruritus narium, palpebræ intumeſcunt, ſponte lachrymas fundunt oculi, appetitus languet, ſitis verò in quibusdam major in aliis mitior pro diverſitate ſubjectorum cum hæmorrhagia narium deprehenditur; præcedunt haud raro ſtridor dentium & pavores, quos epilepſia ſæpiſſimè excipit, eruptionisque variolarum prænuntia eſt: quod accuratiſſimus de variolis ſcriptor ſuo jam tempore poſteritati ſequentibus reliquit *Cap*. 2. de hiſtoria variolarum regularium Sydenhamus ſuo tempore graſſantium *An* 1667.68. *&* 69. *fol*. 95. *Nonnunquam & paroxyſmi epileptici: qui ſi infantes jam dentitione perfunctos corripuerint, ſuſpicor ego ubique variolas in procinctu ſtare, quæ intra pauculas horas ſe exerentes prognoſtico ut plurimum fidem conciliant, & authoritatem, ità, ut ſi fortè infans inſultum epilepticum ſub veſperam, quod fieri ſolet, patiatur, variolæ ſequente aurorâ in conſpectum ſe dederint. &c.* ex quibus, non tantùm ea eſſe vera, de epilepticis motibus ſcripta, videmus, ſed & docemur, debere attendi reliquos morbos infantum, dentitionem nempe, in qua &, imprimis, ſin febris conjuncta ſit, requiritur adſtutum & verſatum Medicum in praxi, nè morbum cum morbo confundat; nolo hic ſignorum differentiam in dentitione, & variolis adferre, cùm mei non ſit ſcopi; id tamen præ omnibus in epidemica variolarum lue notandum, ut contagium non

obli-

obliviſcatur, hoc enim præſente, & ſupra adductis ſymptomatibus infallibile fere ſignum eſt futurarum variolarum, cujus etiam memor eſt Celeb. BOERHAAVE *citat. L. Aphoriſ. 1387. fol. 328.* poſtquam indolem & variolarum ſigna recenſuit, ſequentibus: *Morbus ergo ille (1386.), affinis omni acuto inflammatorio difficulter in hoc ſtatu ab eo diſtinguitur; ſcientia epidemici regnantis (1380.) ægri in hunc morbum proni (1381.), contagii prægreſſi (1382.), docet, quod adſit, & quod ſecuturæ ſint papulæ ipſæ in altero, mox deſcribendo, decurſu:* ſub his ſymptomatibus 3tia aut 4ta die à tempore invaſionis, erumpunt puſtulæ in facie, collo, dorſo aliisque locis, pauciores aut copioſiores in principio minores, paululum elevatæ & accuminatæ, quæ indies creſcunt in latum & altum, usque ad 8vum circiter diem, adæquantes ferè medietatem piſſi & ultra: accedit tandem 3tia periodus, ſuppurationis videlicet, perdurans usque ad 10. vel 11. diem cum circulo inflammatorio circa diſcretas variolas, ubi ſucceſſivè puſtulæ rumpuntur, effundentes materiam purulentam & ſanioſam, quam effuſionem ſequitur exſiccatio die 14, 15, quandoque etiam paulò tardius peragitur: ſolet verò id imprimis contingere in variolis manuum confluentibus; faciei enim citius exſiccantur, ac ſquamulæ ſucceſſivè decidunt, relictis foveis haud rarò, quæ verò omnium maximè in graviori malo, & confluentium ſtatu ſolent evenire: ex his liquet differentia morbillorum, qui quidem generaliora ſymptomata in principio videntur habere communia, hinc etiam ab Autoribus frequenter ſub uno tractantur capite, aſt, ſin omnia proba penſitentur lance, & puſtulæ

conſpiciantur, ſic ſtatim apparebit differentia; in morbillis enim adſunt quidem etiam papulæ, rubicundæ, aſt minores & nunquam ſuppurabiles: ſufficiant hæc de generali variolarum diagnoſi.

§. VIII.

Variolæ Benignæ à malignis tum à priori tum â poſteriori dijudicantur; Illæ enim leviora conjuncta habent ſymptomata, & utplurimum die erumpunt 4to, qua facta eruptione non ità amplius ſæviunt ſymptomata, ſed reddita ſunt omnia mitiora, & ſalutarem à poſteriori ſortiuntur finem: Hæ verò ſive malignæ omnia atrociora ſua à priori adferunt, & à poſteriori, anguem ſub herba latitaſſe, docet frequens funeſtus eventus. Hinc majori excruciantur ægrotantes anxietate, inquietudine, virium proſtratione, acerbiori dolore dorſi, pectoris, &c. quibus perpeſſis mente Sydenhami, more aliorum exanthematum malignorum citius & quidem 3tia die cutem perforant, ac obſident, non tamen diſcretim, atque diſtinctim, ſed ſucceſſivè confluunt tum in facie tum in aliis partibus in unum tumorem plus minus elevatum, non ceſſantibus æquè ſymptomatibus, ſed perdurantibus, imò aliis pejoribus adhuc accedentibus, ùt eſt angina, phrenitis, aſthma &c. Hoc in ſtatu reperiuntur etiam quandoque in variolarum medio puncta atra, aut planè ipſæ ſunt nigricantes, ac lividæ: ſolet verò harum eruptio quoque continuare usque ad diem 8vum, ubi cruſta albicans conſpicitur, in cujus ſinu ſuppuràtio, & alia ſupra dicta fiunt, niſi, quòd paulò exſiccatio diutius protrahatur; concurrit in hac non ſolùm in adultis, aſt etiam junioribus,

bus, ſpontanea ſalivatio, ſive frequentior ſalivæ generatio atque exſpuitio, qualem ante breve tempus in laborante puella variolis 5. annorum obſervavi. Malignæ quoque dijudicantur interjectis maculis petechialibus tam rubicundis, tum ſubatris, & liveſcentibus; in quibusdam etiam interſperſa eſt purpura vel alba vel rubra, illa, ùt notum, communiter eſt malignæ proſapiæ, ideo etiam ſimilem variolarum eſſe genium, procul dubio concludendum erit, collectim ſumendis, quæ dicta ſunt.

§. IX.

Epidemicæ, ùt & ſporadicæ non indigent ulteriori & fuſiori explicatione, quoniam illæ ſe ſiſtunt Medico, dum per integram urbem, pagum, territorium, aut plane provinciam populatim infeſtant genus humanum; Sporadicæ verò parcunt plurimis & tantùm unum alterumvè benignè vel maligne ex proprio & intrinſeco vitio af- & inficiunt; Illæ verò ex communi malo contagioſo ſuum ortum habent. Variolæ cum aliis morbis complicatæ, & ideo compoſitæ dictæ, à priori difficulter, à poſteriori verò facillimè viſu cognoſcuntur, niſi hic epidemius ſit ſtatus ita conſtitutus, ubi, ſin graviora ſymptomata malignitatis ſigna corripiant ægrotum, de hac indole variolarum præcogitandum venit.

§. X.

Prognoſin formaturus, ſervabo talem modum, ut pateſcat eventus, dependens partim ex indole ipſarum variolarum, partim proveniens & dijudicandus ex conjunctis & ſupervenientibus ſymptomatibus, aut bonis, aut dubiis, aut funeſtis, quibus ſuperaddam tempus mali & boni eventus, cujus ultimi, cùm jam me-

mores fuerimus, pauciſſimis tantùm ut & modi eventûs ſalutaris recordabimur, aſt de eventu funeſto, aut potius ejus modo plura facturi ſumus verba, non omiſſis iis, quæ, etſi non mortem denotent, tamen alia incommoda cauſant.

§. XI.

Cùm ſuprà diſpeſcerim ſub differentiis variolas in benignas & malignas, de utrarumque ſignis egerim ſub diagnoſi; ideo etiam ab his pro ſtruenda Prognoſi exordior. Illæ, niſi error committatur ab ægroto vel adſtantibus, famulorum vices agentibus redundans in eum, nunquam ſunt periculoſæ, aſt modo critico ſive ſalutari materia peccans è interioribus, & nobilioribus partibus ſolidis & fluidis verſus peripheriam corporis cutaneam propellitur, & deponitur, inde à noxio hoſte liberatæ illæ, ſalutem reportant; Committit verò ægrotus errores in regulis diætéticis, de quibus ſub fine, quomodo ſervandæ ſint, acturus ſum; Adſtantes, famuli, famulæque peccant in eo, ſin ad vitia diætetica ſtruenda auxiliatricem porrigant manum, aut potius, ſin contraria atque noxia, quod præſertim vetularum proprium eſt, apportent remedia, utpote appropriata atque comprobata, quæ tamen in receſſu nil, niſi morbum periculoſiorem, imò ſæpe lethalem producunt. Malignæ è contra, ex ſola denominatione Medicis uſitata, nunquam carent periculô, & ſi ægrotum non penitus ſtrangulent, in ſummum tamen periculum eundem conjiciunt, ita, ut ſemper prognoſis boni eventûs ſit fallax, dubia, atque incerta: qua de cauſa non blandiatur Medicus ſaltèm amicis, atque adſtantibus, ſin ægrotum terrore haud concutere velit prognoſticô ſummi periculoſi ſtatûs, & exitûs ferè certò lethalis.

Pe-

Periculoſiores adhuc ſunt, conſtitutis in ætate adultiori, virili, aut penitùs ſenili, quibus eſt morbus incongruus. Pejores & magis malignæ, ex obſervatione SYDENHAMI, ſunt, ante diem 4tum erumpentes; ſignum enim præbent, ut alia exanthemata maligna maturius in conſpectum venientia, largiorem adeſſe copiam materiæ peccantis, quam natura ſuperare & è interioribus partibus foras proſcribere vix poteſt, hinc illas occupat, annuentibus omnibus probatiſſimis ſcriptoribus de variolis, confirmanteque ipſa experientiâ, rerum optima Magiſtra, hinc dicit Bœrhaave *Aph.1403.* dum agit de funeſto eventu ſequentia: *Omnium vero clariſſime liquebit ei, qui ex anatomicis novit, ut externam cutim, ita oculos, narium omnes membranas, oris omnia velamenta, aſperam arteriam, bronchia œſophagum, ſtomachum, inteſtina, jecur, lienem, pulmones obſideri his puſtulis.* Ex quibus nil aliud fluere valet, quàm finis vitæ temporalis, & æternæ ingreſſus. Confluentes ſemper ſunt periculoſiores, ipſis diſtinctis, atque diſcretis. Variolæ punctis nigris tinctæ, aut in totum atræ lethalem denotant exitum. Haud minoris virulentiæ ſunt compoſitæ cum petechiis, aut purpura alba conjunctis, illas BOERHAAVE lethales abſolutè nominat *Aph. 1398. fol. 332. Si in locis inter puſtulas liberis maculæ purpureæ, lethalis gangræna deſignatur.* Graviùs & periculoſiùs ſæviunt in hominem tempore hyemali graſſantes, cùm ob majorem per frigus ſtricturam cutis, non legitime exitum moliantur. Infelicem denotant variolarum decurſum tempore maturationis accidens epilepſia, diarrhœa ſymptomatica, phrenitis, earundem collapſus, & non ſufficiens elevatio, præviæ ſalivationis ceſſatio, ex quibus accidentibus liquet, materiam fermen-

C 2 tati-

tativam interiora verſus vergere, atque internas occupare partes. Felicior è contra ſpes affulget in debita elevatione & ſuppuratione horum exanthematum, diarrhoea critica, abſentiâ phrenitidis atque epilepſiæ. Epilepſia verò ante eruptionem caret periculo. De Tempore eventûs ſalutaris, quæ monenda erant, jamdum adducta ſunt: Funeſtum verò ſortiuntur exitum, ut plurimum ſub maturatione non debitè eveniente, hinc ab 8vo usque ad 11. aut 12. diem vitæ termino maximè expoſiti ſunt. Modus eventûs ad ſalutem peragitur ordinariè debita ſuppuratione & exſiccatione; ad mortem tendit anginâ, phrenitide, epilepſiâ, aſthmate ſuffocativo, hæmorrhagiis ſymptomaticis &c. Reſtat ut de reliquiis variolarum ordinariis dicamus, quæ ſunt in atrocioribus, foveæ, cicatrices, oculorum, & per conſequens ſæpe viſûs læſio, tuſſis, phthiſis &c. An vulgi aſſertum ſit certum, quòd, qui ſemel variolis correptus fuit, non amplius timendas habeat, decidit BORELL. *Cent. 3. obſ. 10.* de muliere quadam, qua ſepties per vitam eas paſſa, ac tandem anno ſuæ ætatis 118. ipſis variolis laborans, occubuit.

SECT. II.

Demonſtrans Therapeutica & Diætetica in variolis obſervanda.

§. I.

AD hæc, quæ curationem attinent, felicius aſſequenda, attendi debent tempora variolarum ſub diagnoſi inter alia adducta, ut & formandæ ſunt quædam indicationes, quibus ſuperſtrui-

ſtruitur medicatio, legitimaque methodus ordinandi remedia, Hinc 1. fermenteſcibilis materia temperatè ad peripheriam, quò tendit naturæ conatus ducenda. 2. M. S. proportio conſervanda. 3. Symptomata urgentia mitiganda, & futura præcavenda ſunt.

§. II.

Primæ indicationi ſatis fit temperatis diapnoicis, abſorbentibus, ùt eſt ♁ diaph. bezoard. mineral. Lap. ♋. ſimpliciter aut cum ſucc. citr. pptt. eodem modo Conch. pptt. C. C. phil. pptt. & uſt. additis ⊖ nat. aut ♁ii, quæ humores fluxiles reddunt, & ſimul præcavent graviores motus convulſivos. Mater. perlarum, ipſæque margarit. orientales. Lap. bezoard. orient. occident. de Goa; aliique pulveres compoſiti bezoardici, dummodo non conſtent copioſioribus incraſſantibus, aut calidioribus remediis M. S. turgeſcentiam noxiam inducentibus; è quibus parantur in debita atque proportionata doſi cuilibet ætati pulveres, quorum unus veſpertino, ùt & pomeridiano tempore in congruo vehiculo aut cerevifia tenui propinatur: matutino tempore in infuſo HB. Thée non nimis calido, aſt tepido poteſt porrigi aliquid de Eſſ. Scord. cum MR. S. haud largiter, vel planè non camphorata: locò Eſſent. Scord. temperata Eſſ. Alexiph. præſcribi poteſt, ùt eſt Stahl. quibus inſiſtimus & exſpectamus terminum eruptionis, diem nempe 3. 4. imò poſſumus his continuare, niſi quòd paulò accedente maturatione frequentius, aut ſi non debitè elevarentur, & magis repetitis vicibus his utendum ſit.

§. III.

Ut verò ſecundæ ſimul proſpiciamus indicationi, de re erit, ut ex nominatis pulveribus cum congruis ▽is v. g. ▽ Scord. Acetoſ. borag. Scorzon. Galeg. Samb. Carduibe-

duibened. Mar. parentur potiones, quæ ob aquas conjunctas æſtum & nimiam ſanguinis ebullitionem coërcent, atque temperant, & tamen lenem materiæ peccantis verſus peripheriam progreſſum inferunt: Cui ſcopo ſatisfaciunt etiam Emulſiones, ex Sem. Carduib. Mar. Aquileg. citr. nominatis cum aquis concinnatæ, quæ videntur ſpecialem uſum habere in variolis, quoniam diluunt, temperant, æſtum refrænant, febrem mitigant, tranſpirationem inſenſibilem promovent, atque inde impediunt, nè viſcera his puſtulis infeſtentur. Timæus ex ſequentibus ſeminibus & ingredientibus pulverem confecit contrà variolas. ℞. Sem. Aquileg. Naſturtii aa. ʒij. Carduib. nap. aa. ʒj. Rad. Scorzon. dictam. alb. aa. ʒiß. ∇. ſigill. C. C. S. △ aa. ʒij. M. f. pulv. Urgente æſtu, atque majori calore febrili, ſiti præſente ſupra nominatis pulveribus, aut potionibus additur aliquid de ⦶o, ut motus ſanguinis auctus, facilè hæmorrhagias ſymptomaticas per quemcumque locum inducens convulſiones, infringatur. Proficiunt in hunc finem etiam julapia adhibita, aut decocta ex Hordeo Rad. Scorz. C. C. raſpat. fl. borrag. parata & Succ. citr. acidulata, aut Syrupo acetoſ. citr. paululum & grate edulcorata: quale eſt *Dolæi* potulentum immiſcendum potui ℞. ∇. C. C. citrat. ℥ij. Succ. citr. ℥ß. de quo magna ſcribit encomia, quæ quidem haud incognita ſunt, cùm verò effectum ejus propriâ experientiâ confirmatum edicat, ideo illud è ſua *Encyclopædia* excerpendum videbatur ſequens: *Quo hactenus feliciſſimè uſi ſumus, ut etiam nemo illorum quibus maturè fuit exhibitus, perierit, & præter hunc nihil amplius adhibemus, niſi quòd non nulla die ſeptimo, octavo & nono, blandiora bezoardica cum myrrha in parva doſi commendamus. Tot liquoris noſtri antivarioloſi vidimus effectûs, ut ſpondere audeamus, neminem in poſterum variolis mori poſſe, modo hoc utatur medicamento, & calorem lecti primis fugiat diebus.*

§. IV.

§. IV.

Accedimus ſymptomata, quæ negotium Medico & patienti faceſſunt, inter quæ, eſt diarrhœa, tempore ſuppurationis moleſtans; hæc eſt vel critica vel ſymptomatica, illa negligenda, hæc verò temperatis tonicis & diapnoicis conjunctis tollenda ùt eſt: C. C. uſt. Unicorn. foſſ. Spec. de hyacinth. Eſſ. Theriacal. balſam. quæ ſimul vim corrigendi, & verſus peripheriam materiam peccantem ducendi habet; In Epilepſia tempore ſuppurationis, ùt & convulſivis motibus evenientibus, cum non ſufficienti variolarum elevatione, aut planè retroceſſione conveniunt antiepileptica, aliis alexipharmacis conjuncta, ùt ſunt lumbr. ▽ſtr. & frequentius adhibita TR. Bez. Wed. Eſſ. Alexiph. Stahl. liqu. C.C. Succinat. in moderata doſi; quo in caſu TR. ☉ ſiccam, optimum edidiſſe effectum, me docuit experientia, confirmavit ægrotantium teſtimonium, quam vel ſolam, vel remixtam aliis nominatis per diem una alterave vice, conveniente doſi exhibui: Poſſunt etiam in retroceſſione Veſicatoria ſuris applicari, variolis ſint careant. Oculis proſpicitur collyrio, parato ex ▽. chelidon. maj. Roſar. rubr. tut. alb. Sacch. ♄ n. aut apponitur linteum quadruplicatum, antecedenter madefactum, atque irroratum ▽. Camph. & Crocat. & iterum exſiccatum: collyrium verò non palpebris admovendum, ſed oculis inſtillandum eſt. In angina gargariſmata temperantia adhiberi debent, parata ex fl. papav. Rhead. HB. Prunell. ⦶ ♁iat. Mel. Roſar. aut mente JUNCKERI absque vehiculo deglutienda Eſſ. Alexiph. Stahl. vel pimpinell. ad aliquot guttas: extrinſecus poteſt emplaſtrum de ſpermate cet. camphoratum, ſin locus aliàs ob variolas admittat, apponi. Et ità in aliis procedendum eſt ſymptomaticis affectibus, atque variolarum ſociis. Solent etiam Auctores varia de impediendis foveis præſcribere, quæ verò raro exoptatum inferunt effectum, ideo etiam hæc prætermitto; imò ſæpe plus nocent, quàm proſunt.

§. V.

§. V.

Supereſt, ut pauca de aliis remediis evacuantibus dicamus v. g. V. S. purgatione, vomitione. Illam adhibendam eſſe promiſcuè, non aſſentimus, niſi plethoricus etiam in quiete conſtitutus adſit ſtatus, aut adſint, vel præceſſerint ea, quæ juxtà rationalem methodum ſanguinis miſſionem deſiderant; Purgatio & vomitio eodem modo ſe habent, ut nempe illa, quæ in methodo medendi docentur, ſedulò obſerventur; nam ſin error manifeſtus in alimentis & potulentis aſſumptis, prægreſſus, aliis conjunctis ſignis, deſiderantibus hanc vel illam evacuationem, ſic non tam ob variolas, quàm ob ſaburram inprimis viis latitantem, aſt primis diebus ſtatim, ut & V. S. ante eruptionem harum una inſtituatur.

§. VI.

Defatigantur etiam Practici in variolarum præſervatione celeberrimi, aſt, cùm hucusque ſpecificum antivarioloſum nondum inventum, atque excogitatum fuerit; ideo univerſali erit inſiſtendum methodo; quamobrem contagium vitetur, & legitimus inſtituatur ordo vivendi; Viæ primæ expurgentur: Sanguis in adultis ad plethoram inclinantibus, lautàque vitâ utentibus, mittatur; Animus ſit tranquillus.

§. VII.

In Curatione variolarum aër ſit temperatus, corpusque moderatè tectum ſub principio, tempore eruptionis paululum calidior aër, magisque tegumentis muniatur; idem fiat ſub maturatione: Cibus ſit parcus & non nimis pinguis, aſt ſufficit Pauperibus notus; Potus eſſe debet dilutus, v. g. cereviſia tenuis, aut ſupra ſimile adductum decoctum. Motus & quies variat pro diverſitate variolarum, ille ſub aëre temperato in benignis concedi poteſt: malignæ aliunde eum inhibent: ſomnus naturalis non infringatur. Animi pathemata, iracunda, triſtia, terrifica arceantur, atque impediantur. Alvus, quæ ſæpè per aliquot dies in principio & progreſſu morbi obſtructa eſt, nunquam ſollicitetur, per quodcunque remedium: ſub exſiccatione autem, ſin creet moleſtiam, aperiatur clyſter; hæc ſunt, quæ de variolis conſcribere volui atque potui.

F I N I S.